

valde utile erit explicare quando annus intelligendus est completus, vel inchoatus juxta doctrinam.

QUESTIO PRIMA.

Quid significetur per annum denotatum in genitivo, vel in ablativo cum prepositione, in, vel, in accusativo cum prepositione, ad, vel, per?

SUMMARIUM.

- 1 Cum dicitur in anno intelligitur annus inchoatus.
2 Cum lex utitur genitivo requiritur annus completus.
3 Si lex utitur accusativo cum prepositione, ad, requirit annum completum.
4 Si lex utitur prepositione, per, requirit annos completos.

Primo: quando leges & decreta apponunt annum cum prepositione in, per ablativum, ut si dicatur, quod fiat aliquid in anno tertio; tunc denotatur annus inchoatus, ac inceptus, ita ut in aliqua die illius anni tertii illud fieri possit: nam qualibet die, jam annus ille est inchoatus. Sylvester in summa, verb. Etas, questione 2. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 28. §. Dubia est questionis. Portel. in Additionibus ad dubia Regular. verb. Annus, num. 1. Idem dicendum existimat M. Lezana verb. Annus, num. 2. Cum dicitur, quod aliquis ad aliquod officium non admittatur, nisi fuerit in etate triginta annorum; idem omnino valet ac si diceretur, quod ad illud officium non assumatur, nisi sit in trigesimo anno: tunc sufficit annus inchoatus, unde cum nostrae Constitutiones Carmelitanæ part. 4. cap. 13. num. 3. requirunt ad officium diffinitorum; ut sint in etate triginta annorum, fat est, quod prædicti anni sunt incepti.

Secundo, si lex utitur genitivo, dicens: ne quid fiat ab aliquo, nisi fuerit decem annorum, vel quid aliud simile, tali dispositione exigitur annus completus. Ita Sylvester, Azor. Portel. & Lezana citati.

Tertio: si lex utitur accusativo cum prepositione ad, denotat tantum annum inchoatum, ut si dicatur, hoc fiat ad tres annos; citatur Bartol. l. si qui ff. de legat. & l. Qui filium, ff. ad Trebellianum. Ita Auctores citati.

Quarto: si lex utitur accusativo casu, cum prepositione Per, designans annos, v. g. per tres, vel quatuor annos; annos completos requirit; & ad hoc adducitur lex. Non putabam, & lex Si annos ff. de conditione, & demonstratione. Ita citati Auctores; ex quo colligit Portel. num. 4. pro Minoribus, quod dum Sixtus V. constituit Abbatis vacare per tres annos; requirit annos completos. itaut si desit una tantum dies, non possint reelegi. Sixtus enim V. usus est in sua Constitutione accusativo cum prepositione Per, per tres annos.

Sylvester. Azor. Portel. Lezana.

Constitut. Carmel.

Sylvest. Azor. Portel. Lezana.

Portel. L. Si quis. L. Qui filium.

L. Non putabam. L. Si annos. Portel. Sixtus V.

QUESTIO II.

Quomodo intelligendus annus, quando lex utitur prepositione Ante, vel Post?

SUMMARIUM.

- 5 Si lex utitur prepositione, ante, annos inchoatos, ac inceptos, indicat.
6 Si vero utitur lex prepositione post, annos completos denotat.

Primo: quando lex assignans terminum annorum utitur accusativo cum prepositione, ante, ut si dicatur, ante viginti annos vel viginti tres, tunc sufficit anni inchoati, ut colligitur ex Tridentino sess. 13. cap. 12. determinans annos ad sacros Ordines suscipiendos, ait; viginti duo, ante viginti tres, ante viginti quinque, quod de annis inchoatis tenet communis praxis Ecclesie, Henriquez in summa, lib. 10. cap. 10. §. 2. & lib. 13. cap. 38. §. 2. Reginaldus in praxi, lib. 30. tract. 3. num. 166.

Secundo, si vero lex assignat terminum annorum utens accusativo cum prepositione Post: Ut si dicat post unum annum, vel post duos annos, tunc de annis completis, sermo est. quod confirmat Portel. in Additionibus ad dubia Regul. verb. Annus, num. 4. §. Quærit. Ex quadam declaratione Gregorii XIII. nam Pius V. constituerat, quod nullus functus officio provincialatus posset reelegi, nisi post octo annos vacaturæ: tunc Gregorius XIII. explicavit illud, non esse intelligendum de annis completis, sed de vacatura, duarum electionum intermediarum, ex quo etiam inferitur, quod cum Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 11. disponat, ut nulli promoveantur ad sacros Ordines, nisi post annum à susceptione ultimi gradus Minorum Ordinum, intelligendum esse de annis completis, nisi aliter Episcopi judicio dispensatum fuerit, at communiter explicant DD. in Collectan. apud Barbosam.

QUESTIO III.

Quomodo annus in materia favorabili, vel odiosa sit explicandus ac intelligendus.

SUMMARIUM.

- 7 In re favorabili suffiunt anni incepti, in re vero odiosa requiruntur completi.
8 In favorem matrimonii sufficit ultima dies septemni, sicut & ultima dies duodenarii.
9 In re electione Abbatis, anni debent esse completi, sicut & ad jejunium.

Si nulla ex superdictis particulis explicatis in duabus questionibus antecedentibus

5.

Trident.

Henriquez. Reginald.

6.

Portel.

Greg. XIII. Pius V.

Trident.

Barbosa.

7.

cedentibus apponatur; & res sit constituta in dubio: In materia favorabili suffiunt anni inchoati; at vero in materia odiosa requiruntur anni completi. Ita Azor. cum Portel. in Additionibus ad dubia Regularia, verb. Annus num. 6.

8. Ex quo fit, quod cum ad contrahenda sponsalia requiratur septennium completum; ex cap. literas, & ex cap. Accessit. de sponsal. & impubertate. proindeque in favorem matrimonii ad hoc septennii complementum sufficit quod una dies septennii sit inchoata, ac incepta; sicut & in favorem testamenti idem institutum est de anno duodecimo pro foeminis, & quatuordecimo pro viris destinato, ut multi Doctores tenent cum Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 6. num. 2. & lib. 7. disp. 104. num. 2. M. Cornejo. tract. de Matrim. disp. 2. dub. 3. Sic etiam in favorem penitentiariæ Canonice penitentiarius debet eligi in etate quadraginta annorum, fat est tamen, quod cum multis tenet Diana part. 10. tr. 16. Resol. 86. Hæc tamen Regula non habet locum in anno professionis Regularium, in qua requiruntur anni omnino completi, ut suo loco dicam propter declarationem Cardinalium, ac communem praxim.

9. Secus vero in re odiosa in qua requiruntur anni completi, hinc deducitur: quod cum reelectio Abbatis sit res odiosa, ut testatur Rodrig. in summa tom. 1. cap. 103. Anni inchoati pro illius vacatione debent esse completi, & non suffiunt inchoati, ut etiam habet Portel. num. 6. Ex quo etiam patet, quod ille, qui complet ultimam diem anni vigesimi primi ad jejunii obligationem requisit, si in ea die incidat obligatio jejunii, non tenetur ad illud, quia obligationis tempus non est completum; at vero ab illa hora, qua tempus explevit, tenetur jejunare, excipitur tamen, si ante illam horam plures refectiones sumpsit, tunc jam ea die jejunii substantia deperdita est, & ipse jam impotens est ea die ad jejunandum. Ita Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 24. num. 29. Bonacina, de jejunio disput. ultima quest. 1. punct. ultimo num. 7.

Sanchez. Bonacina.

QUESTIO IX.

Quomodo sit computandus annus bis sextus, juxta Kalendarium Gregorii XIII.

SUMMARIUM.

- 10 Quid sit annus Bissextilis. In tali anno dies additus cum antecedenti prout una reputatur.
21 In Reformatione Kalendarii Gregorii annus sine decem diebus, pro integro reputatur.

10. Annus bissextilis.

Annus Bissextilis, in quo bis dicitur sexto Kalendas Martii, nempe die 24. & 25. Februarii, & quamvis habeat unam Sylveira Opuscula.

diem plusquam alii anni, (talis enim annus habet 366 dies, cum alii habeant solum 365.) tamen juxta usum Ecclesie duplex illa dies, pro una computatur; & etas quæ habeat suum complementum die 24. Februarii tali anno ultimo completur die 25. & ratio est, quia utraque dies censetur una, & dies secunda est complementum diei præcedentis, quæ deerat ad complementum integri solis per Zodiacum circuli, ut ex multis probat Sanchez tom. 1. in decalog. lib. 4. cap. 35. num. 3. Sanchez, ad finem. Ex quo aperte sequitur, quod in anno bissextili Annus vigesimus quintus ætatis non completur die 24. Februarii, sed sequenti die 25. Sicut & annus requisitus ad novitiatum includit illum suaderadditum: tanquam novitiatum complementum, ut sæpe declaravit Sacra Congregatio, ut ex pluribus Auctoribus habet Joannes Maria Novarius Lucerna Regulari verb. Annus num. 4.

Sacr. Cong. Joan. Maria.

11. Greg. XIII.

Quantum ad secundum sciendum est, quod Gregorius XIII. anno 1582. ut emendarentur tempora ad solis cursum, ordinavit, ut in prædicto anno decem adimerentur tempora ad solis cursum, ordinavit, ut in prædicto anno decem adimerentur dies: hoc est, à quinta die Octobris usque ad decimam quintam, & tunc talis annus civiliter, ac politice debuit integer reputari, demptis illis decem diebus, tam quoad professionem, quam quoad ætatem ad sacros ordines suscipiendos, & ratio omnium est, quia ipse Gregorius XIII. in sua Bulla, inter gravissimas tom. 2. Bullarum inter ipsas bullas, num. 74. disposuit, quod ille annus integer reputaretur ad quæcunque officia, ac beneficia & cetera omnia; & expressè excipit ea nimirum quæ sunt in tertii Henrici præjudicium: ut solutiones censuum, & lo. Rodriguez Sanchez tom. 2. questionum Regular. quest. 25. art. 5. §. ex qua resolutione. Sanchez tom. 2. in decalog. lib. 5. cap. 4. num. 5.

QUESTIO V.

An anni possint dici completi quando desunt pauci dies?

SUMMARIUM.

- 12 Prima sententia affirmat, 13 Communior & verior sententia negat.
Prima sententia affirmat, quod anni possint dici completi, quando ad ætatem deficiunt duo, vel tres dies. Ita Hostiensis, Vera Crux, Martin. de Ledesma allegati apud Sanchez citandum cum quibus est M. Cornejo tom. 2. tract. de Matrim. disp. 2. dubio 3. §. Dico 2. Nam in moralibus, quæ parum distant nihil distare videntur.

Hostiens.

Ledesma. Sanchez. Cornejo.

13.

Opposita sententia & negativa mihi videtur vera; eam tenent Abbas Cardinalis, Sotus, Cellus, & alii, quos citat, ac sequitur Sanchez lib. 7. de Matrim. dist. 10. q. 3. Nam illud ætatis tempus est taxatum à lege, quod lex requirit completum, & non semiplenum ad majorem libertatem, & perfectum usum rationis

R 3

ut



ut annus decimus sextus ad professionem, & confirmatur: quia communiter Doctores dicunt, quod ad sponsalia requiritur septennium completum, & in favorem matrimonii tenent quod sufficienter sit in ipsa die, in qua septennium completur, & non antea, ut supra dixi q. 3. num. 8.

QUÆSTIO VI.

Quodnam tempus dicitur modicum, longum & antiquum, ac immemorabile?

SUMMARIUM.

- 14 Decennium dicitur tempus longum, modicum infra decennium.
- 15 Tempus antiquum, juxta aliquos, est tempus decem annorum, juxta alios, centum.
- 16 Quomodo probetur tempus immemorabile.

14. **T**empus decem annorum, dicitur tempus longum, modicum verò infra decennium Naldus in summa verb. Annus, num. 4. & verb. Tempus, num. 11. Suar. lib. 7. de legibus, cap. 8. num. 9. Qui etiam addit, quod tempus longissimum complectitur à decennio usque vicennium, & patet cap. de Prescriptionibus longi temporis, & ex l. 1. & 2. ex tit. sequenti. Ex quo fit appetit decennium sufficere ad inducendam consuetudinem legis, & prescriptionem illius quod ex multis latè probat idem Suar. lib. 7. de legib. c. 11. n. 5.

15. **Q**uod autem dicatur tempus antiquum restat inquirendum. Naldus verb. Tempus, n. 17. M. Lezana verb. Annus, num. 10. dicitur; quod tempus decem annorum potest dici tempus antiquum; tamen communior, & receptior sententia est, quod tempus centum annorum dicatur tempus antiquum; quod hominum memoriam excedit. Ita Menochius, Mascardus, Surdus, Farinacius, Nicolaus Garcia, Guier. etz, Cevallos, Rota Romana, & alii multi, quos citat, ac sequitur Barbosa de potestate Episcopi, part. 3. allegat. 72. num. 35. & 36. Qui etiam tenet ex Mascardo, Valasco, Flaminio, tempus antiquissimum ac immemorabile esse tempus centum annorum.

16. **A**d probandum autem hujusmodi tempus immemorabile, sufficit in rebus memoria quadraginta annorum, & quod de reliquo tempore testes deponant secundum auditum, & famam, juxta Glossam communiter receptam cap. 1. de Prescriptionibus, & multi Doctores apud eundem Barbosam num. 36. Molinam de justit. tract. 2. disp. 76. Riccium in praxi. Resol. 128. & bene etiam probatur per scripturas excedentes metam centum annorum Flaminio, Rota, Cordubens. apud Garcia de beneficiis part. 3. cap. 9. n. 9. & part. 12. cap. 2. n. 165.

Naldus. Suar. C. de Prescript. l. 1. & 2. Suar. 15. Naldus. Lezana. Menoch. Mascard. Surdus. Farinac. Nic. Graec. Guier. Cevallos. Rota Rom. Barbosa. Mascard. Valasco. Flaminio. 16. Glossa. C. 1. de Prescript. Barbosa. Molina. Riccius. Flaminio. Rota. Cordubens. Garcia.



RESOLUTIO X.

Apostata, seu Apostasia.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Apostasia?

SUMMARIUM.

- 1 Etymologia nominis.
- 2 Triplex, vel quadruplex est Apostasia, & quid sit.
- 3 Apostasia à fide omnium gravissima, quid sit. Accidentaliter distinguitur à tribus speciebus infidelitatis. Ibidem.
- 4 Circumstantia Apostasia, explicanda in confessione. Apostata à fide incidit in excommunicationem, à aliis penas Bullæ Cænæ. Ibidem.
- 5 Apostasia latè sumpta invenitur in omni peccato mortali.

**A**POSTASIA secundum nominis etymologiam, idem est, quod retrocessio, seu desertio institui semel suscepti; Apostatare enim idem est, quod deficere, seu retrocedere, semperque ut notat Suar. tom. de Suarez. Fide, tract. 1. disp. 16. sect. 5. num. 1. in malam partem sumitur pro desertione iniqua; hinc, que ille, qui deficit ab instituto suscepto, illudque deserit, dicitur Apostata.

**E**t quia tripliciter, vel ut alii volunt, quadrupliciter homo potest specialiter uniri, ac conjugari Deo, scilicet, per Fidem, obedientiam, & Religiosam professionem. Quarto addunt Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 12. punct. 1. Turrianus 2. 2. disp. 37. dub. 1. statim in principio; nempe, per Ordinem sacrum, ac clericatum; ideo triplex est Apostasia, vel quadruplex juxta Auctores proxime citatos, scilicet, à fide, obedientia, ac professione Religiosa, ac ab ordine, & clericatu, de quibus D. Thomas 2. 2. quæst. 12. art. 1. Ibidem Banez, Turrianus, & Valentia citati, & nos Joannes Beet in primo præcepto Decalogi Exposit. 1. cap. 9.

**A**postasia à fide omnium est gravissima: fit recessus à Fide Christiana; quando scilicet, Christianus recedit à Christianismo, sive in pluribus articulis, sive in uno, & alio: nam ut ait Jacobus Apostolus: Qui peccat in uno factus est omnium reus: & talis recedens à Christianismo, sive fide Christi, sive post, sive ante Baptismum susceptum, ut explicat Turrianus citatus, & convertitur sive ad Paganismum, sive Judæismum, sive hæresim: ab hac, trium infidelitatis specierum Apostasia non distingui, sed esse illarum circumstantiam cum D. Thoma, Sylvestro, Angelo Paludano, docent Suar. de Fide, tract. 1. disp. 16. sect. 5. num. 10. Arriaga de Fide. disp. 19. sect. 4. §. Tertio dico. Indeque ille, qui ex Catholico fit Calvinista est hæreticus, & Apostata, Hæreticus, quia Calvini scætam amplectitur; Apostata, quia fidem Christianam, quam tenuit, deseruit, ac verò ille, qui ab infantia est Calvinista, & nunquam renuit fidem Catholicam, est hæreticus, non verò Apostata debet

1. Naldus. Suarez. 2. Valentia. Turrianus. Banez. Turrianus. Valentia. Beetz. 3. Jacob. D. Thom. Sylvest. Angel. Paludan. Suar. Arriaga.

debet dici; & ideo omnis Apostata, vel est Judæus, vel Paganus, vel hæreticus; non verò contra omnis hæreticus dicitur est Apostata ut est explicatum.

- 4. Hinc fit, quod circumstantia Apostasia sit explicanda in Confessione; notabiliter enim aggravat hæresis peccatum, ut tenent Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 7. numer. 17. M. Lezana verb. Apostata, numer. 2. Quidquid in contrarium dicat cum aliquibus Diana part. 1. tract. de circumstantiis aggravant. Resol. 54.
- 5. Apostata incidit in excommunicationem ac alias penas contentas in Bulla Cænæ Domini, ut explicabitur verb. Hæresis.
- 6. Apostasia latè sumpta intervenitur in omni peccato mortali, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 12. art. 1. ad 1. juxta illud. Proverbior. 6. numer. 14. & Ecclesiast. 10. num. 14. Initium superbia hominis apostatare à Deo. Tigrina. Initium superbia est defectio hominis à Domino, & à creatore suo. Quam sententiam D. Thomas 1. 2. quæst. 84. art. 2. ad 2. Gregorius de Valentia, Cornelius à Lapide, sic explicant, ut Apostasia accipitur pro conditione quadam omnium peccatorum communi; in omni enim peccato sicut est quædam inobedientia, ingratitude, ac contemptus Dei; sic est quædam generalis Apostasia, id est, defectio à Deo, ejusque lege, mandatis, ac voluntate.

Sanchez. Lezana. Diana. D. Thom. Proverb. 6. Eccel. 10. Tigrina. D. Thom. Valentia. Cornelius.

De Apostata verò à Religiosa professione, ac Clericatu, & sacro Ordine, dicam latè in hac Resoluzione per sequentes quæstiones.

QUÆSTIO II.

Quid requiratur ad hoc, ut Religiosus vere, & propriè dicatur Apostata, vel fugitivus, sive dimisso, vel retento habitu longo, vel brevi tempore?

SUMMARIUM.

- 7 Qui dicatur Apostata, quive fugitivus?
- 8 Novitii fugientes non sunt Apostata.
- 9 Moniales professæ exeuntes à Monasterio, animo non revertendi sunt Apostata. Aliter dicendum de Tertiariis, ac Beatis. Ibidem.
- 10 Qui exiit à Monasterio animo non revertendi, sive cum habitu, sive sine illo est Apostata.
- 11 Qui recedit à Conventu, sive cum habitu, sive sine illo, animo vagandi per tres annos, intendit tamen revertere non est Apostata.

**I**lle Religiosus professus dicitur verè, & propriè Apostata, qui recedit à Monasterio animo dimittendi in perpetuum obedientiam jugum; qui sic deficit Monasterium intentione se subtrahendi in perpetuum ab obedientia suorum Superiorum, & se abdicandi ab instituto Religioso. Ille verò propriè dicitur fugitivus, qui sine licentia Superioris recedit à Monasterio, ut ad tempus fiat extra

potestatem, ac obedientiam Religionis, habet tamen animum ad illam postea revertendi. Inde fit, quod ratio fugitivi est quid commune ad fugitivos, ac Apostatas: nam omnis Apostata est fugitivus, non tamen omnis fugitivus est Apostata, & discrimen assignatum inter utrumque est commune inter Doctores. Ita Angelus, Sylvest. Caietan. Aragonius, Banez, Navar. Valentia, Azor. Lessius, Emmanuel Rodriguez, quos citant, ac sequuntur Sanchez tom. 2. in Decalog. 6. cap. 8. numer. 2. Hieronymus Rodriguez Resol. 11. num. 20. & alii citandi.

**E**x quo sequitur primò: Novitios, qui à Religione fugiunt non esse Apostatas, etiam si vota simplicia castitatis; obedientiæ, ac paupertatis emisissent; & ratio est, quia tales non sunt facti verè Religiosi, & consequenter non comprehenduntur in supradicta distinctione.

**S**ecundo sequitur Moniales professæ de Monasterio exeuntes animo deserendi Religionem, & non ad illam revertendi, quod sint verè Apostatae, & penas Apostatarum puniendæ, & eodem modo de illis judicandum respectivè, ac de Apostatis religiosis. Ut colligitur ex cap. Prævenit ad vos, 27. quæst. 1. Farinacius tract. de Hæresi, quæst. 183. num. 68. Aliter dicendum de mulieribus, quas vocant Beas seu Tertiarias, non esse Apostatas: est habitum relinquunt etiam si vota simplicia emisissent, quia non sunt verè Religiosæ, nec habent vota essentialia: & ideo si matrimonium contrahant validum erit. Ita Banez, Aragonius cum Sanchez citato nu. 7. Sanctarellus de Apostasia, cap. 3. dub. 1. num. 5. & sic definitum fuisse à Rota Romana refert Puteus decis. 136. lib. 1.

**T**ertio sequitur quod ille, qui exiit à Monasterio animo recedendi in perpetuum, sive exterius, sive interius absconditum porter habitum, quod sit verè Apostata. Ita Rodriguez tom. 1. q. 30. art. 2. Pellizar. tom. 2. tra. 8. c. 8. n. 45. ex Mendosio testante sic fuisse decisum à Rota; & ratio est, quia dimissio, aut retentio habitus religiosi nihil refert ad Apostasiam: nam sicut habitus non facit Monachum, sed religiosa professio; sic & Apostatam facit recessus à professione Monastica, esto habitus non deponatur.

**Q**uarto sequitur, quod ille, qui recedit à Conventu sine licentia, sive cum habitu, sive sine illo, esto habeat animum vagandi extra Monasterium per tres, & quatuor annos, & ultra, cum animo tamen revertendi; talis non est Apostata. Ita Grassis, Sanchez, Aragonius, Banez, & alii quos citant ac sequuntur Peyrin. Resol. 3. quæst. 1. cap. 26. notabili 2. Fr. Anton. Aragon. ab Spiritu Sancto in director. tom. 1. tract. 3. disp. 6. num. 1403. licet contrarium teneat Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 1. n. 20. usque 25. Suar. quæstio num. 15. Ratio nostra est: Quia Apostasia consistit in animo deserendi in perpetuum statum Religiosum, sed id fugitivi semper habere animum revertendi: ergo non sunt verè Apostatae.

Angel. Sylvest. Caietan. Aragoni. Banez. Navar. Valentia. Azor. Lessius. Emmanuel Rodriguez. Sanchez. Hieron. Rodrig. 8. C. Præveni. Farinacius. Banez. Aragon. Sanchez. Sanctarel. Puteus. 10. Rodrig. Pellizar. Mendosi. 11. Grassis. Sanchez. Aragon. Banez. Peyrin. Fr. Ant. ab Suar. Tambur. 11.